



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LXXXII. Ferdinandvs. LXI. Arch. XLV. Elector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

unde derelictus ferè ab omnibus fugit in Hollandiam , ubi ab Uraniæ Duce exceptus, extorrium more cum sacrilega conjugè vixit ad annum 1601.

## LXXXI. ERNESTVS. LX. ARCH.

## XLIV. ELECTOR.

**E**rnestus Alberti V. Ducis Bavariæ filius, tribus jam Infulis , Leodiensi nimirūm , Hildesiensi & Frisingensi junxit quartam eāmque majorem reliquias Colonensem. Pedo & Gladio opus fuit Ernesto ; Pedo quidem ut oves dispersas unum in ovile reduceret ; Gladio autem ut lupos permultos , hostes nempe suos copiosos procul pelleret, quod utrumque præclarè prorsus præstítit per annos 29. Utrumque paucis complexus Poeta canere nos docuit.

Ernestus Bavarus certans Gladioque Pedoque  
Restituit læsis vimque decusque sacris.

Talia tametsi probarentur minimè Lutheri asseclis Viris Principibus, hi nihilominus quod in Ernesto reprehenderent, non invenerunt, quod verò dilaudarent, facile repererunt: vixisse enim & mortem Arensbergæ obiisse an. 1612. non nisi *santissimè*, libris testibus confitentur. Gloriosus igitur reliquorum omnium ex Domo Bavariae Electorum Coloniæ antesignanus Ernestus, Coloniam Romam Germanorum dictam, dum non condidit, magnam partem restauravit.

## SECULUM XVII.

## LXXXII. FERDINANDVS. LXI. ARCH.

## XLV. ELECTOR.

**F**erdinandus Wilhelmi V. Bavariæ Ducis filius , Ernesti Electoris nepos , Academiæ Ingolstadiensis lucidissimum sydus in juventute fuit , in qua eruditionis & scientiarum

præ-

præclara reliquit monumenta , auditus haid semel duntaxat propositas Theses doctissimè propugnare & impugnare , dignissimus Princeps , qui quadruplici Mitra exornaretur suo tempore . Annis 38. Ecclesiæ Colonensi emolumento ejusdem maximo præluxit , totidem ferè annis mala perpeccus gravissima : ab anno enim 1625. Brunsuicensium copiæ per Coloniensem Electoratum grassatae sunt quidvis audendi libertatem jussuum ratæ . Ab an. 1632. successit Gustavus Adolphus Suecorum Rex Ferdinando Electori eò infensor hostis , quò arctiori sanguinis vinculo Maximiliano Electori Bavarо , & amicitiæ fœdere Ferdinando Cæsari conjunctum esse noverat Electorem Coloniæ , simul & Archipræfulem , & Lutheri hostem . Hassorum etiam armatæ copiæ Colonienses ditiones animo maximè hostili invaserunt , inde nulla nec arte , nec vi expulsæ ; donec denique inita pace Novesio aliisque urbibus egredi pæcta publica sualerunt , liberali auro viam sternente ad redditum . Cæterum componendis in Imperio turbatissimo negotiis ab Imperatore Ferdinando II. adhibitus , & à partibus , ut id faceret , rogatus , ita satisfecit omnibus , ut Ferdinandi virtus nunquam non eminuerit inter virtutes Virorum Principum non paucorum . Ferdinandi nimirum instar regulæ erat quotidie fortiter agere & pati , atque adeò esse Episcopum , hoc est perfectum , quale testimonium de suo Pastore dixerunt oves omnes bonæ .

LXXXIII. MAXIMILIANVS. LXII. ARCH.  
XLVI. ELECTOR.

**M**aximilianus Henricus Ducis Alberti Bavari filius Pedo triplici fortior ac firmior , Ecclesiam triplicem multis suis virtutibus solidissimis confirmavit , Coloniensem nimirum , Leodiensem & Hildesiensem . Et verè virtutes Maximiliani Ecclesiæ columnas dixit S. R. E. Cardinalis Julius Mazarini , qui ab æmulis ad Gallorum Regem Ludovicum